licere, invitis parentibus, baptizare filios eorum infidelium, qui politicè tantùm & civiliter subsunt principibus Christianis.

## CAPUT VII.

### *Necessitas Baptismi.*

1. CAïetanus hîc quæst.68. artic.2. docet, deficiente oportunitate baptizandi parvulos, votum baptismi à parentibus, vel ab aliis conceptum, eis sufficere ad salutem, præcipuè cum aliquo signo exteriori. Quod ibidem sic explicat: *Debet in tali casu parens signo crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, sicque Deo offerre morientem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et super artic. 11. ejusdem quæstionis hæc scribit: *In articulo undecimo occurrit scribendum & consequenter dicendum (sub correctione tamen) parvulos in maternis uteris periclitantes, posse salvari per Sacramentum baptismi, non in re sed in voto susceptum, cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis.* In eandem sententiam inclinant Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, in serm. de nativitate B. Virginis, habito in Concilio Constantiensi, & Gabriël in 4. dist. 4. quæst. 2. artic. 3. dubio 2. & nonnullos Recentiores eam existimare probabilem, testantur Serra hîc artic. 2. & Caramuël in Theologia fundamentali cap. 7. fundam. 64. Cœteri tamen Theologi illam ut erroneam rejiciunt, quia Joan. 3. lata fuit hæc lex generalis à Christo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: quando verò constat de lege generali, nisi constet etiam de privilegio derogante, nullum censetur hujusmodi privilegium: Sed non constat nobis de privilegio illo Caietani, derogante legi generali baptismi; imò potiùs oppositum ex traditione Ecclesiæ, ex Conciliis, & SS. Patribus colligitur: Ergo nullum & fictitium tale privilegium censeri debet. Minor probatur quantum ad singulas partes. Et in primis quod tale privilegium sit contra traditionem Ecclesiæ, ex eo patet, quod illa nunquam inter sua membra numeravit infantes, qui baptismo fluminis vel sanguinis renati non essent in Christo, eisque mortuis semper negavit sepulturam in loco sacro. Unde Augustinus de orig. anim. cap. 9. dicit *neminem fieri membrum Christi, nisi vel baptismate in Christo, vel morte in Christo.* Quod verò repugnet Conciliis, constat ex Florentino in decreto Eugenij, ubi sic dicitur: *Cùm per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua & Spiritu Sancto renascimur, non possumus, ut inquit veritas, in regnum cœlorum introire.* Et ex Tridentino sess. 6. cap. 4. ubi describens justificationem impij, ait esse translationem à statu in quo homo nascitur filius iræ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei: *quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest.* Unde cùm parvuli, utpotè usu rationis carentes, non sint capaces voti seu desiderij baptismi, manifestum est, eos, juxta Tridentinum, non posse sine actuali susceptione baptismi salvari. Idem passim docent SS. Patres: Ambrosius enim lib. 2. de Abraham cap. ultimo, explicans verba illa Christi, *Nisi quis renatus fuerit*, subdit: *Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 23. *Nulla ex nostro arbitrio, præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.* Et cap. 27. *Quoniam de ovibus ejus esse non incipiunt parvuli, nisi per baptismum, profectò, si hunc non accipiunt, peribunt.* Item lib. 3. de origine animæ: *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, pervenire posse ad originalium peccatorum indulgentiam, si vis esse Catholicus.* Demum S. Thomas hîc quæst. 68. artic. 1. sic discurrit: Non potest aliquis salvari sine eo per quod homo incorporatur Christo, sitque ipsius membrum; nullus enim potest salutem consequi, nisi per Christum, ac proinde nisi Christo incorporetur; quia sicut per unius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem, ut ait Apostolus ad Roman. 5. Sed homo per solum baptismum incorporatur Christo: Ergo sine baptismo nullus potest salutem consequi.

2. Objicies primò cum Cajetano: In antiqua lege, cùm puer ante octavum diem, in quo solebat fieri circumcisio, periclitabatur, sufficiebat illi ad salutem, remedium seu Sacramentum in lege naturæ ordinatum pro salute parvulorum, nimirum fides parentum, aliquo signo exteriori & sensibili manifestata, *quod enim* (inquit Gregorius) *apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres pro parvulis sola fides*: Ergo similiter, imò & à fortiori, poterit in lege Evangelica idem remedium adhiberi parvulis quibus non potest applicari baptisma: alioquin in lege gratiæ esset arctata pro parvulis via salutis, & difficilior reddita, quam in lege naturæ, vel Mosaica, illique essent deterioris conditionis, quam isti.

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia cùm in lege Moysis Deus prohibuisset circumcidi pueros ante octavum diem, necesse erat, ut illis ante illud tempus periclitantibus, aliud remedium relinqueret applicandum, nimirum Sacramentum legis naturæ. Nunc verò quia sic Sacramentum baptismi instituit, ut non prohibuerit illud applicare parvulis statim ac in lucem eduntur, non mirum est, quod nullum aliud remedium pro ipsis reliquerit. Nec propterea via salutis pro parvulis arctata est & difficilior reddita, quam in lege naturæ vel Mosaica: Tum quia plures infantes salvantur in lege Evangelica, toto orbe diffusa, quam in lege naturæ, aut Mosaïca, quo tempore vera fides in paucis inveniebatur. Tum etiam, quia baptismus uberiorem gratiam confert, & citiùs ad gloriam perducit. Tum denique, quia aqua, quæ est materia baptismi, est valde communis, & facilius est abluere, & quædam verba proferre, quam signo sensibili adjungere actum fidei supernaturalis, qui requirebatur ad remedium legis naturæ. Addo quod tunc non poterat tam multis subveniri parvulis, sicut modò, quia tunc non nisi à fidelibus Sacramentum pro parvulis institutum adhiberi poterat, nunc verò etiam ab hæreticis, paganis, & infidelibus, baptisma administrari potest, ut cap. 5. ostensum est. Unde absolutè & per se loquendo, conditio parvulorum non est facta deterior, sed melior: licet per accidens & secundùm quid possit dici deterior respectu eorum, qui statim ab ortu ita subitò moriuntur, ut nullâ parentum diligentiâ possint baptismum recipere.

3. Objicies secundò, si in lege Evangelica nullũ daretur remedium pro salute parvulorum, quibus non potest applicari baptisma, sequeretur quod voluntas antecedens, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri, ad illos parvulos non se extenderet, subindeque quod talis voluntas non esset generalis: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, nam per voluntatem illam antecedentem Deus dat media sufficientia ad salutem; alioquin talis voluntas non esset vera & sincera, sed fictitia & simulatoria. Unde D. Thomas in 1. dist. 46. qu. 1. art. 1. ait quod *hujus voluntatis effectus est ordo in finem salutis, & promoventia in finem, omnibus communiter proposita, tam naturalia, quam gratuita*: Ergo si Deus in lege Evangelica nullum reliquerit remedium pro salute parvulorum, quibus non potest applicari baptisma, illi non comprehenduntur sub voluntate antecedenti quâ vult omnes homines salvos fieri.



4. Vasquez hujus argumenti difficultate oppressus, fatetur voluntatem illam antecedentem quam Deus habet de salute omnium, parvulos illos non comprehendere, subindeque Deum illis media ad salutem necessaria denegare: sed D. Augustinus lib 4. contra Julian. cap. 8. docet expressè eos sub tali voluntate comprehendi, & constat ex eo quod aliàs Christus omnium parvulorum redemptor non esset, cùm illius redemptio non excedat objectivè voluntatem generalem quam Deus habet de salute hominum, utpotè ex il la imperata.

5. Meliùs ergo respondetur, negando sequelam Majoris, ut enim voluntas antecedens quâ Deus omnium hominum salutem desiderat, & generalis Christi redemptio, ad parvulos omnes extendantur, non requiritur quod de facto omnibus contulerit medium seu remedium quo peccatum originale in ipsis deleri possit, sed sufficit quod universaliter pro omnibus parvulis baptismus institutus fuerit, & omnibus oblatus & præparatus, & per merita Christi quoad sufficientiam obtentus. Unde quando dicitur quod Deus per voluntatem antecedentem, quâ vult omnes homines salvos fieri, dat omnibus auxilia & media ad salutem sufficientia, distinguendum est: si ly dare accipiatur, prout significat idem quod præparare seu offerre in communi, concedendum est. Si ly dare accipiatur prout est correlativum ad accipere, & prout significat ipsam intrinsecam receptionem auxiliorum, vel actualem eorum applicationem, negandum. Non ergo eodem modo omnibus exhibentur media sufficientia ad salutem, ex vi illius voluntatis antecedentis, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri, sed diversimodè. Nos autem diversitatem istam taliter extendimus, quod aliquibus de facto applicandus provideatur baptismus, illis scilicet qui de facto lavacro regenerationis abluuntur: aliis solùm ut proximè applicabilis per humanam diligentiam, illis videlicet quibus ob negligentiam hominum non fuit applicatus. Aliis denique, nec ut applicatus, nec ut aliquâ diligentiâ applicabilis, sed ut pro illis quantùm est ex parte Dei institutus, & per merita Christi quoad sufficientiam obtentus; illis nimirum qui in utero matris moriuntur, quibus nullâ humanâ diligentiâ applicabilis est baptismus: tum quia non possunt subjici operationi ministrorum Ecclesiæ, tum quia baptismi non sunt capaces infantes nondum nati, renasci enim non potest nisi natus.

6. Dices, si nullum detur in nova lege pro parvulis in utero materno morientibus remedium pro peccato originali, humana diligentiâ applicabile, sequitur quod meritum Christi minus erit, quam Adami demeritum: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela majoris patet, Adamus enim, mediante propagatione seminali, de facto pueros illos in utero materno morientes inficit, eisque communicat maculam peccati originalis: Ergo si Christus nullum pro ipsis remedium in nova lege præparaverit, ad delendum illud peccatum, ejus meritum minus erit demerito Adami.

Respondeo hoc argumentum solùm probare, meritum Christi in actu secundo esse secundùm quid, & quoad extensionem, seu applicationem, inefficacius demerito Adami, quatenus scilicet hujus peccatum naturali propagatione in omnes de facto transfunditur, & meritum Christi iis tantùm prodest quibus per certa media ab eo instituta applicatur, Cum quo tamen stat, meritum Christi esse absolutè efficacius in actu primo, & aliquo modo etiam in actu secundo, quatenus non tantùm delet peccatum originale, sed etiam peccata actualia: item quatenus vi illius quibusdam conferuntur bona supernaturalia, longè majora iis quæ Adami demerito fuerunt perdita.

## CAPUT VIII.

### *Effectus Baptismi.*

1. TAm varij ac mirabiles sunt hujus Sacramenti effectus, ut meritò Tertullianus lib. de baptis. cap. 3. exclamaverit: *Quot prodigia naturæ, quot privilegia gratiæ, quot solemnia disciplinæ, figuræ, præstructiones, precationes, religionem aquæ ordinaverunt!* Primus & præcipuus est remissio peccati originalis, & omnium actualium baptisma præcedentium: per baptismum enim Christianus fit novus homo, creatus in Christo Jesu, subindeque nihil in eo remanet de vetustate peccati. Unde Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 15. *Generante carne tantummodo trahitur peccatum originale: regenerante autem spiritu, non solùm originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.* Igitur per baptismum projiciuntur in profundum maris omnia peccata nostra, ut Michæas prædixerat, sicut olim in mari rubro immensi & extincti sunt omnes Ægyptij. Quare Gregorius Magnus lib. 9. epist. 39. *Qui dicit peccata in baptismate funditùs non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Et D. Bernardus serm 39. in Cantica, eandem figuram & similitudinem seu analogiam baptismi cum mari rubro magis explicans, ait: *Ibi populus eductus de Ægypto, hîc homo de sæculo: ibi prosternitur Pharao, hîc Diabolus: ibi subvertuntur currus Pharaonis, hîc carnalia & sæcularia desideria, quæ militant adversùs animam, obruuntur, illi in fluctibus, isti in fletibus: marini illi: amari isti.*

2. Secundus baptismi effectus est totius pœnæ peccato debitæ plena remissio, absque satisfactione subindeque patefactio aditus in regnum cælorum, absque dilatione, si quis post baptismum sine novo peccato moriatur. De quo effectu Florentinum in decreto Eugenij sic habet: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pœna quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & Dei visionem perveniunt.* Similiter Ambrosius ad Roman. 11. *Gratia Dei in Baptismate non quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod,*

*aliquod, nisi solam ex corde professionem. Donum enim Dei gratis donat peccata in Baptismo.* Ratio etiam suffragatur, nam Christus hoc Sacramentum instituit per modum generationis spiritualis, unde sicut in generatione corporali (juxta probabiliorem Aristotelis & D. Thomæ sententiam) fit resolutio usque ad materiam primam, ita ut nullum accidens quod erat in corrupto, maneat in genito: ita & nullum accidens ad generationem spiritualem pertinens, debet remanere in homine per baptismum regenerato, sive quoad culpam, sive quoad pœnam. Unde Chrysostomus homil. 24. in Joan. *In aqua baptismi tanquam in sepulchro caput immergentibus, vetus homo sepelitur, emergentibus inde homo resurgit.*

3. Licet autem per baptismum liberetur homo ab omni reatu pœnæ pro culpa debitæ; per illum tamen pœnalitates hujus vitæ non auferuntur, experientiâ enim constat in baptizatis remanere concupiscentiam, & fomitem peccati, eosque esse obnoxios fami, siti, morbis, doloribus, aliisque miseriis, quibus caput nostrum Christus obnoxius fuit usque ad resurrectionem suam, ut magis illi assimilentur, & ut major in eis sit corona, ex majoris pugnæ victoria. Unde Augustinus in Enchir. cap. 66. *Videmus parvulos post lavacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari, ut intelligamus totum quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinere.*

4. Tertius baptismi effectus est infusio gratiæ habitualis, & virtutum ac donorum eam concomitantium. Ratio prioris est, quia peccatum originale consistit formaliter in privatione gratiæ habitualis, nobis in origine debitæ, ut in Tractatu de peccatis ostendimus; unde cùm nequeat privatio à subjecto tolli, nisi per formam oppositam, non potest peccatum originale remitti, nisi per infusionem gratiæ habitualis. Ratio verò posterioris sumitur tum ex eo quod virtutes infusæ sunt proprietates gratiæ habitualis, ab ea inseparabiles, ut in Tractatu de virtutibus demonstravimus. Tum etiam ex eo quod baptismus est Sacramentum perfectè regenerativum hominis in Christo, subindeque debet ea omnia conferre quæ ad perfectam regenerationem in Christo requiruntur: Atqui ad hanc non solùm requiritur gratia habitualis, quæ hominem transfert à statu peccati, in statum adoptionis filiorum Dei, sed etiam ea quæ eundem reddunt ab intrinseco potentem ad exercenda omnia ea opera, quæ sunt propria filiorum Dei: hæc autem sunt habitus supernaturales fidei, spei & charitatis, & reliquarum virtutum moralium infusarum: Ergo hæc omnia per se confert baptismus. Unde Prosper de vocat. Gent. cap. 18. ait, *Originem veræ justitiæ in regenerationis Sacramento positam esse, ut ubi homo renascitur, ibi etiam ipsarum virtutum veritas oriatur.*

5. Quartus effectus baptismi est jus ad auxiliâ fini suo proportionata, nempè ad sanctè & christianè vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, Christique fratres, & regni cœlestis hæredes, juxta illud Leonis magni Serm. 1. de Nativit. Christi: *Agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.*

Quintus est unio moralis cum Christo ut capite, ad participanda ipsius merita, in ordine ad generationem spiritualem. Nam ut discurrit S. Thomas hîc art. 5. *Per baptismum aliquis incorporatur Christo, quasi membrum ipsius. Sicut autem à capite naturali derivatur ad membra sensus & motus: ita à capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis, qui est per gratia instinctum; unde Ioan. 1. dicitur: vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* De hac unione loquitur Apostolus ad Galatas 3. dum ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et ad Roman. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & in novitate vitæ ambulemus.*

6. Sextus baptismi effectus est character, nam ut ait Florentinum in decreto Eugenij: *Tria sunt Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est spirituale signum, imprimunt in anima, indelebile, unde in eadem persona non iterantur.* Baptismus ergo iterari non potest. Primò, quia Christianus ea characteris obsignatione indelebili, Deo æternùm consecratus manet; res verò Deo semel consecrata, cùm ex ipsa consecrationis natura perpetuò talis maneat, iterata consecratione non eget. Unde Cyprianus, vel Author Sermonis de ablutione pedum: *Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis, nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere; quia contumelia esset Spiritus Sancti, si evacuari posset quod ille sanctificat, vel alia sanctificatio emundaret quod semel ille statuit & confirmat.* Secundò, quia baptismus est quædam renascentia spiritualis; unde sicut nativitas carnalis unica est, ita unicum debet esse baptisma. Quare Augustinus tract. 11. in Joan. *Quomodo uterus non potest repeti, sic nec baptismus.* Tertiò, quia baptismus est figura mortis & resurrectionis Christi, per illum enim morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ; ut constat ex verbis Apostoli ad Roman. 6. supra relatis: Ergo sicut Christus semel tantùm mortuus est, & resurrexit, ita conveniens est, ut homo semel tantùm baptizetur. Quartò, baptismus datur principaliter contra originale peccatum: Ergo sicut peccatum originale non iteratur, ita non debet iterari baptismus. Econtra verò, quia pœnitentia est remedium contra peccata actualia, quæ sæpè committuntur, multoties iterari debet.

7. Præter hos baptismi effectus, Chrysostomus homil. ad Neophytos, cujus meminit D. Augustinus lib. 1. contra Julian. cap. 6. decem Baptismi dotes seu privilegia recenset, his verbis: *Benedictus qui fecit mirabilia solus, qui fecit universa, & convertit universa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi; & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti: non tantùm sancti, sed & justi; non solùm justi, sed & filij; non solùm filij, sed & hæredes, non solùm hæredes, sed & fratres Christi, nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes & membra; non tantùm membra, sed & templum; non tantùm templum, sed & organa spiritus. Vide quot sint baptismatis largitates. Et nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere: nos autem honores computavimus decem.*





## CAPUT IX.

### *Baptismi revivisentia.*

1. Baptismus validè susceptus quoad substantiam, sed cum obice fictionis, sive privativa, uve positivæ (id est ortæ ex voluntaria & culpabili omissione dispositionis requisitæ, vel ex actuali affectu ad aliquod mortale) sublata per pœnitentiam fictione, revivisit, id est eandem gratiam, ejusdemque gratiæ gradum, baptizato confert, quem reipsa contulisset, si subjectum minimè fictum seu indispositum invenisset. Ita communiter docent Theologi, paucis exceptis.

Probatur primò ex Augustino de baptismo contra Donatistas lib. 1. cap. 12. ubi de baptismo in statu Schismatis, seu lethiferæ separationis ab Ecclesia, sic loquitur: *Qui tamen* (baptismus in Schismate susceptus) *tunc prodest ad remissionem peccatorum, cùm quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissentionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non sinebantur. Sicut enim in illo qui fictus accesserat, fit ut non denuò baptizetur, sed ipsa pia correctione & vera confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, sed ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio vera confessione recesserit.* Et rursus lib. 3. cap. 13. *Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut jam dimissa retineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus improbetur, aut alter tradatur, sed ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Idem docet Auctor sermonis de passione Christi inter opera Cypriani, ait enim: *licet indigni sint qui accipiunt* (scilicet baptismum) *tamen ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec aliàs quæri aut repeti necesse est salutiferum Sacramentum.*

2. Dices, Augustinus ibi rejicit effectum baptismi in Sacramentum reconciliationis: Ergo effectum baptismi fictè suscepti, non baptismati, sed pœnitentiæ attribuit, subindeque non existimat ipsum baptismum sublata fictione reviviscere. Sed nego consequentiam, nam solùm iis locis Augustinus intendit, tunc solùm ficto & indigno prodesse baptisma, cùm Deo per pœnitentiam reconciliatur, & sincera conversione sanatur; quod non impedit quominus tunc homini per pœnitentiam disposito, & positum obicem auferenti, baptismus suum conferat effectum, & gratiam regenerantem impertiat; unde tunc utrique baptismatis & pœnitentiæ Sacramento datur locus, ut constabit ex infra dicendis.

3. Probatur secundò ratione fundamentali: Quando quis fictè suscipit baptismum, & postea cum attritione confitetur, sine dubio justificatur, & à peccato originali mundatur: Sed peccatum originale non potest tolli per Sacramentum pœnitentiæ, quod solùm pro peccatis actualibus institutum est, sed duntaxat per Sacramentum baptismi, quod institutum fuit in remedium peccati originalis: Ergo illud tunc tollitur per baptismum, subindeque baptismus, recedente fictione, revivisit, seu producit suum effectum.

Confirmatur: Regeneratio, seu prima justificatio, debet fieri per baptismum, in re, vel in voto, ut colligitur ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, & ex Tridentino sess. 6. cap. 4. Sed in casu posito, non potest fieri per novum baptismum in re, cùm illud sit initerabile, nec per ejus votum, cùm talis homo antea illud reipsa susceperit: Ergo debet fieri per revivisentiam baptismi antea validè suscepti.

Confirmatur ampliùs ratione D. Thomæ hîc qu. 69. art. 10. Quando causa est ex se productiva alicujus effectûs, si impediatur, eû postea producit, amoto obice; sicut quia in generatione corporis gravis, resultare debet motus deorsû, si motus ille impediatur, resultat postea, sublato impedimento: Atqui baptismus validus ex se postulat producere gratiam regenerantem: Ergo remota fictione, statim eam producit ex opere operato. Quomodo autem illam tunc producat, an physicè, vel solùm moraliter, diximus in tractatu de Sacramentis in communi cap. 3. §. 3. unde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem hîc inutiliter repetamus.

4. Objicies primò: Ut baptismus recedente fictione revivisceret, seu produceret suum effectum, deberet peccatum originale delere: At hoc non præstat baptismus, sed pœnitentia: Ergo baptismus, recedente fictione, non revivisit. Major patet, Minor probatur. Gratia per pœnitentiam collata, priùs infunditur quam gratia baptismi, cùm baptismus in nullum possit prorumpere effectum, nisi priùs fictio, gratiâ per pœnitentiam impetratâ, auferatur: Ergo cùm quævis gratia sanctificans, sit cum omni peccato mortali, sive originali, sive actuali, incompossibilis, priùs supponitur peccatum originale remissum per pœnitentiam, quam illud possit delere baptismus.

Respondeo, concessa Majore, negando Minorem, & ad ejus probationem, nego Majorem; gratia enim ab utroque Sacramento, baptismi & pœnitentiæ, in eodem reali momento proficiscitur, secundùm diversas tamen rationes; nam ut regenerativa, est à baptismo; ut sanativa, à pœnitentia, mutuò sese juvantibus his duobus Sacramentis, non utroque independenter ab alio suum effectum operante, sed suum effectum sibi invicem permittente. Unde D. Thomas hîc art. 10. ad 2. *Ad baptismi effectum consequendum concurrit baptismus & pœnitentia: Sed baptismus sicut causa per se agens, pœnitentia sicut causa per accidens, id est removens prohibens.* Ex quo intelliges, quod quando Sacramentum baptismi, recedente fictione per contritionem, vel per Sacramentum pœnitentiæ, incipit habere effectum suum, talis ordo reperitur. Priùs naturâ pœnitentia tollit fictionem, quæ prioritas reducitur ad genus causæ materialis & dispositivæ; tum quia recessus impedimenti priùs naturâ intelligitur, quam introductio formæ impeditæ; tum etiam quia recessus fictionis est quasi dispositio ut baptismus habeat suum effectum. In secundo instanti naturæ, baptismus remittit peccata quæ fuerunt ante ipsum commissa; nam infusio gratiæ regenerantis intelligi nequit, ante recessum originalis culpæ, & lethalium culparum actualium. In tertio instanti naturæ baptismus justificat animam per gratiam regenerantem; quia gratia regenerans quæ confertur per baptismum, prioritate naturæ præcedit gratiam sanantem, quæ per pœnitentiam infunditur. In quarto demum pœnitentia justificat hominem per gratiam sanantem, quia priùs naturâ est generatio in vita spirituali per baptismum, quam sanatio per pœnitentiam.

5. Objicies secundò: Si recedente fictione baptismus suum sortiretur effectum, per gratiâ baptismi remitterentur omnia omnino peccata actualia; sive illû antecedentia, sive concomitantia, sive subsequen